



**DN. DVRANDI|| à Sancto Portiano, in Senten=||tias
Theologicas Petri Lombardi|| Commentariorum libri||
quatuor.||**

Durandus <de Sancto Porciano>

Antverpiæ, 1567

Quæstio quarta. Vtrum ignorantio excuset peccatum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72607](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-72607)

3 IN CONTRARIUM est, quia peccatum dicitur etiam opponitur gratiae quae scientiae, sed privatio gratiae non est culpa, sed poena consequens peccatum, ergo ignorantia quae est privatio scientiae non est peccatum. Responsio.

Ignorantia eorum quae quis non tenetur scire, vel non potest nullo modo est peccatum, de ignorantia vero eorum quae aliquis tenetur scire & potest. Dicendum quod nunquam est peccatum secundum se, sed ratione adiuncti quod est negligentia ad discendum, vel voluntas non ad discendum. Quod patet dupliciter. Primo considerando peccatum secundum se ipsum. In hoc enim differunt malum & peccatum: quia privatio cuiuscumque perfectionis debita est malum, sed peccatum dicitur solam privationem secundae perfectionis, quae est operatio vel debita rectitudinis in operatione, ut plenius patebit inferius, sed ignorantia secundum se dicitur privationem scientiae, & non privationem operis, vel perfectionis in operatione, nisi concomitativae, in quantum ignorantia concomitatur negligentiam ad discendum, vel voluntatem non ad discendum, ergo &c. Secundo patet idem comparando culpam ad meritum, quia circa idem sunt. Sed constat quod meritum per se consistit in actu & non in habitu, ergo & culpa seu peccatum. Ignorantia autem dicitur privationem habitus & non actus, nisi concomitativae, ergo &c.

4 Hec & illa ratio est bona quae communiter ponitur, quod si ignorantia esset peccatum, tamen peccaret homo, quoadiu ignoraret, consequens est falsum, ergo & antecedens. Neque valet solutio quae datur, scilicet quod ignorantia sicut & alia peccata omissionis solum est peccatum pro illo tempore pro quo praecipit affirmativum cui opponitur obligat, praecipit autem affirmativum non obligat ad semper, sed pro loco & tempore quo occurrit materia praecipit facienda, propter quod ignorans non semper actu peccat, sed pro tempore quo quis per praecipit obligatur ad aliquid faciendum, quod per ignorantiam dimittitur.

5 Sed istud non valet, quia licet praecipit affirmativum non obligat ad semper, ita ut semper actu impleatur, vel actu de eo cogitetur, obligat tamen ad semper secundum habitum, ita scilicet ut homo semper sit ita dispositus, quod semper sit paratus implere praecipit quotiens occurrit faciendum. Haec autem dispositio tollitur per ignorantiam eorum quae quis tenetur scire. Et ideo si ignorantia secundum se esset culpa, quando quis ignoraret, tamen peccaret. Non sic autem si ponatur culpa, non quidem secundum se, sed ratione adiuncti, scilicet negligentiae ad discendum, tunc enim non semper est peccatum, sed solum quando est tempus acquirendi scientiam quam habere tenetur.

6 Ad primum argumentum dicendum quod non solum voluntas est culpabilis qua volumus malum culpae, sed etiam qua volumus aliquid quo proni sumus ad culpam, & cuius oppositum retraheret a culpa, & sic est cum quis vult ignorare ea quae tenetur scire.

7 Ad secundum dicendum quod illud intelligitur de ignorantia non ratione adiuncti, scilicet negligentiae ad discendum, & eodem modo exponenda sunt similes auctoritates Canonis, seu sanctorum si quae tales inveniuntur.

QUESTIO QUARTA.

Verum ignorantia excuset peccatum.

Thom. 1. q. 76. ar. 3.

Verum ignorantia excuset peccatum. Et videtur quod non: quia qui per ebrietatem homicidium committit, peccat per ignorantiam, sed talis non excusatur, nec a toto, nec a tanto, imo meretur duplices increpationes secundum Philosophum 3. Ethic. ergo &c.

2 Item super illud ad Rom. 2. Ignoras quomodo benignitas, &c. dicitur glo. Ambr. Grauisime peccas quia ignoras, sed quod aggravat peccatum non excusat, ergo &c.

3 IN CONTRARIUM est quod Apostolus dicit. 1. Tim. 1. Misericordiam consecutus sum, quia ignoranter feci: sed nihil provocat ad misericordiam, nisi peccatum excuset, vel alleviet, ergo &c.

4 RESPONSIO. Ignorantia potest se habere ad actum dupliciter, causaliter, vel concomitativae. Causaliter quando si non ignoraret non faceret, concomitativae vero quando quis ignorans facit & nihilominus faceret si non ignoraret. Et est differentia inter hos duos modos, quia primus dicitur agere ignorans & per ignorantiam, unde &

abscedente ignorantia est poenitens. Secundus vero dicitur ignorans agere, sed non per ignorantiam, nec ignorantia abscedente poenitet. Et hoc patet clare ex 3. Ethic.

5 De ignorantia igitur concomitativa cum per accidens se habeat ad actum. Dicendum quod non excusat peccatum, nec alleviat, neque tamen aggravat. Cuius ratio est, quia omnis circumstantia excusans, allevians vel aggravans est conditio operis ipsum informans, & non est solum conditio operantis actum concomitans, sicut actus fidei informis est bonus, quia informitas fidei non est conditio fidei informans, sed concomitans ratione credentis qui caret gratia, unde ex infirmitate non sortitur actus fidei aliqua rationem mali. Et simile est de similibus circumstantiis quantum ad rationem boni vel mali excusando, alleviando vel aggravando. Sed ignorantia quae solum concomitativae, se habet ad actum, non est conditio operis ipsum informans, sed est solum conditio operantis, actum concomitans, ergo &c.

6 Ignorantia autem causalis, aut est eorum quae non tenemur, aut non possumus scire quae dicitur in vincibilis, aut est eorum quae possumus scire, & tenemur, quae dicitur vincibilis. Prima omnino excusat si fit in vincibilis secundum se & secundum causam suam, quod dico propter ebrietatem ex ebrietate peccantem cuius ignorantia in vincibilis est secundum se, quia tunc non potest iudicare quid agendum sit vel non agendum, tamen non est in vincibilis secundum causam suam, quia potuit se non inebriare, & ita non ignorare & ideo omnino non est excusatus.

7 Ignorantia autem vincibilis, aut est in universali & dicitur ignorantia iuris, aut in particulari quae vocatur ignorantia facti. Prima autem est directe affectata ut homo liberius peccet & haec non excusat sed aggravat, aut non est directe affectata, sed provenit ex quadam negligentia, & haec licet non excuset ex toto sequens peccatum alleviat tamen. Ignorantia autem particularis seu facti aut est adhibita debita diligentia & dando operam rei licite, & haec omnino excusat sicut tui de Iacob cognoscendo Lyam quam credebat esse Rachel in qua cōsenserat, aut est non adhibita debita diligentia vel dando operam rei illicitae, & haec omnino non excusat, potest tamen plus vel minus alleviare si non fuerit directe affectata.

8 Horum autem omnium talis est ratio. Sicut se habet ignorantia ad causandum vel non causandum voluntarium ad augendum vel minuendum, sic se habet ad excusandum peccatum vel non excusandum, ad aggravandum vel alleviandum. (Cuius ratio est quia eo ipso aliquod imputatur ad meritum vel ad culpam, quia est voluntarium, & quantum est voluntarium tantum imputandum) sed ignorantia se habet ad causandum voluntarium vel involuntarium ad agendum ipsum vel diminuendum modo quo dictum est, ut patet deducendo per membra supradictae divisionis, ergo &c. Quod autem dictum est quod ignorantia causalis quando excusat, alleviat vel aggravat, intelligendum est quando ignoratur illud, quod in actu ponit rationem peccati, non autem de ignorantia aliorum.

9 Argumenta procedunt suis viis. Quod enim primo dicitur quod ebrius meretur duplices increpationes dicitur quod verum est, quia duo peccata committit, scilicet ebrietatem & homicidium, nihil tamen prohibet quod occidendo minus peccet quod si non fuisset ebrius in quantum est in illo peccato minus de voluntario, non tamen totaliter excusatur, quia ignorantia eius non tollit totaliter voluntarium quia ipsa voluntaria sunt.

10 Ad secundum dicendum quod Ambr. loquitur de gravitate periculi non peccati, quia qui nescit morbum non querit remedium, nihil tamen prohibet sequens peccatum esse minus ratione praecedentis ignorantiae licet sit periculosus ignorantia durante.

Sententia huius distinctionis. XXIII. in generali & speciali.

Præterea quarti solet. Superius determinavit Magister de peccato primi hominis quantum ad tentationem & quantum ad radicem. Hic determinat de peccato isto quantum ad Deum permittentem. Et dividitur in duas. Primo determinat quare homine deus retari permittit. Secundo ut magis appareat iustitia permittentis dicit qualiter Deus

Inf. d. 4.
q. 2. m. 11.